



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

- I. Quod transgreßiones constitutionum prouincialium non ad culpam, sed ad poenam tantum obligent transgressores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

INNOCENTIVS TOLETANVM. CAROLVS IV. IMP.
P. VI. PETRVSCRVDELIS R. CASTELLÆ. 137

ANNO
CHRISTI
1355.

C A P I T V L A.

I.

Ne onerentur culpæ pondere ex transgressione constitutionum prouincialium Christi fideles, quibus diuina pietas iugo suaui & oneri leuiori supponere misericorditer est dignata, sacro approbante Concilio ordinamus, quod constitutiones prouinciales prædecessorum nostrorum, & quæ in futurum condentur, nisi aliter in condendis expresse fuerit ordinatum, non ad culpam, sed ad pœnam tantum earumdem obligent transgressores.

II.

Quia in procœmio constitutionum prouincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Ioannem prædecessorem nostrum, continentur hæc verba : [*Præcipimus constitutiones per dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infra scriptis per nos in præsenti Concilio editis obseruari.*] aliquibus graue periculum videatur, quod transgressores constitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti quod in dicto procœmio continetur ; & quia ex eo quod aliqui asserunt, quod eadem constitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ integraliter modo & forma in procœmio earumdem traditis & contentis : nos sacro approbante Concilio statuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti huiusmodi ad obseruantiam dictarum constitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & subditos nostros non obligent, nisi in eo casu

Concil. Tom. 29.

S